

ignem non agnoverint, partim etiam pernegarint. Quærendum ergo utrorum sententia sit potior. Hoc igitur opus aggrediamur.

Aristoteles in hoc dogmate, sicuti in plerisque fere omnibus constituendo, varius et inconstans. Modo ignem ibi ponit, modo aeris supremam partem. Quam quia a cœlorum motu et incalescat, et uratur, modo hypeccauma, modo non ignem vocat. Ignem inquam non revera, sed qui ex consuetudine ignis. Hæc omnia sunt iam a nobis et indicata, et explicata. Non sunt ergo hic iteranda. Illa vero discutiamus. Si ex tua confessione, ignis non est revera, iam ibi nullus est ignis. Si ibi nullus est ignis, iam nullum ignis est elementum. Non sunt igitur quatuor elementa, sed tria illa Zoroastrea, Hermetica, Orphica, aer, aqua, terra. Si ignis ex consuetudine, ibi esse dicitur, quia hominum cogitationes, aut appellationes, nihil constituunt in natura, nullus ibi est ignis; nullum est ignis elementum. Tria ergo et non quatuor. Si ibi ignis non ignis est, eadem omnia sequentur. Si ille ignis, ær tantum est adustus, et nondum in ignem versus, ignis ibi non est. Ignis ergo, quartum non est elementum. Tria igitur tantum in hylæo mundo elementa. Hæc ex Aristotelis inconstantia. Modo rem ipsam perpendamus, et ex veritate examinemus. Aristoteles met ipse, tres ignis species facit. Ita enim V Topico scribit.

Ὅν γὰρ ἐστὶν ἐν εἶδος τῶν πυρὸς. Ἐτερον γὰρ ἐστὶ τῷ εἶδει ἄνθραξ, καὶ φλόξ, καὶ φῶς. ἕκαστον αὐτῶν πῦρ ὄν.

“Non enim est una species ignis. Aliud enim specie est, anthrax, et flamma, et lux, unumquodque eorum ignis existens.”

Et repetit:

Καθάπερ ἐπὶ τῶν πυρὸς τὸ λεπτομερέστατον. Λεπτομερέστερον γὰρ ἐστὶ τὸ φῶς, τῶν ἄνθρακος, καὶ τῆς φλογός.

“Sicuti in igne id quod subtilissimarum est partium. Subtiliorum enim partium est lux, et anthrace, et flamma.”

Tres has easdem ignis species ante eum Plato in Timæo constituerat, et post eum, eius discipulus Theophrastus, confirmavit. Ad hos ergo ignes, ignis elementum excutiamus. Si carbo sit, et sit ignis, necessario erit accensus. Nam si extinctus carbo sit, non amplius erit ignis. Si accensus sit, lucebit. Lucet enim sua natura ignis omnis. Si lucebit, etiam lumen emicabit, lucis enim, uti iam multoties dictum, proprium est, lumen emittere. Si lumen emittet, illuminabit inferiora, et superiora forsitam. At neque accensum esse carbonem sub Luna, aut supra ærem, nec visus, nec sensus alius ullus percipit. Neque ibi lucere quicquam conspicitur. Neque inde lumen ullum ad nos venit, neque nos, neque infera hæc illuminar. Non igitur ignis elementum, carbo est accensus. Sed et alia methodo. Si carbo esset accensus, et caleret ipse in se, et proximum calefaceret ærem, et per ærem, et aquam, et terram. Et quia semper ipse est, semper et caleret, et calefaceret, proxima. Semper ergo aerem calefaceret. Aer ergo nunquam frigidus esset. At sæpissime frigidissimus ita est, ut frigus omne, in alia videatur emanare. Non ergo carbo accensus est, ignis elementum. Prima ergo ignis species, eum locum non occupat. Et si occuparet, iam actum esset de nobis, de terra, de aqua deque ære. Omnia enim iam combussisset. Quam combustionem, longe est rationabilius, nobis esse timendam, quam timenda fuit Aristoteli, veterum positio, cœlum esse ignem. Ait enim, si cœlum esset ignis, iam omnia essent exusta. Sed ignis hic, si carbo accensus esset, et magnitudine, et proximitate, totum ærem, qui minimam habet resistantiam, et calidus est, in ignem convertisset. Nam inter habentia symbolum, facilis est transitus mutuus, docet magister idem. Facilitate ergo transitus huius, et proximitate, sunt enim vel continui, vel contigui. Et magnitudine, est enim Sole longe maior, nullo negotio, nulloque labore suo, ærem totum in ignem convertisset, et per ærem, aquam, et per utraque terram. Esse autem Sole maiorem facilis est demonstratio. Metiti enim sunt Astronomi, Solem centies fexagies, esse terra maiorem. Aristoteles autem illis longe acutior, et melior magister, metitus est, aquam decuplo esse maiorem terra. Aerem decuplo, quam aqua, centies quam